

Et rursus apud Gratianum ibidem *Can. 28.* sub nomi-
ne Concilii Agrippinensis dicitur: „ Ecclesiam in qua
„ mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctifi-
„ care non licet sed si apta videtur ad consecrandum,
„ inde evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis
„ ejus loci, reedificetur, sed si hæc consecrata ante fue-
„ rit, missas in ea celebrare licet: si tamen fideles fuerint,
„ qui in ea sepulti sunt.

XXXII. Conformiter ad hos Canones respondit
Innocentius III. in citato *Cap. 12. De Sepulchris*, „ si
„ contingat interdum, quod vel excommunicatorum
„ corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in
„ cæmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum
„ corporibus discerni poterint, exhumari debent, &
„ procul ab Ecclesiastica sepultura jactari.

XXXIII. Monet ad dictum *Canonem 28.* verbo, *evul-*
sis, Glossographus, *auctoritate Episcopi vel Principis can-*
onem, hanc evulsionem esse faciendam.

Exhumatio enim corporis inhumati ordinariè fieri
nequit; variæque eæque gravissimæ pœnæ in exhuma-
tores cadaverum, & violatores sepulchrorum jam pri-
dem decretæ fuere, uti videre est ad titulos Digestorum
& Codicis *De sepulchro violato*. Ex causa tamen exhuma-
tio conceditur; sed ne hic aberretur, in quibusdam
locis requiritur Superioris licentia. Et quidem in Syn-
odo Bascoducensi sub *Masiorit. 24. cap. 6.* legitur:
„ Nec non inhumata corpora sine expressa licentia ex-
„ humari interdicitur.

XXXIV. Cæterum circa negationem sequestræ;
uti & cadaverum exhumationem & translationem;
præter Ritualia & Synodorum Decreta,
multum quoque attendenda
locorum & Ecclesiarum
consuetudo & præ-
xis.
(o)



PARS



P A R S T E R T I A
D E
J U D I C I I S , D E L I C T I S ,
E T
P O E N I S E C C L E S I A S T I C I S ,
T I T U L U S P R I M U S
D E
J U R I S D I C T I O N E E C C L E S I A S T I C A
I N C I V I L I B U S .

C A P U T P R I M U M .

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in dirimendis
causis Laicorum,

1. Apostolus modum litigandi Corinthiorum redarguit.
2. Quod quaestiones ad tribunalia Infidelium jactandas deferrent.
3. Loquitur Apostolus de actore non de reo.
4. In quo consisteret visum Corinthiorum?
5. Primum argumentum Apostoli quo ostendit indignum esse, ut Fideles ad tribunalia Infidelium recurrant.
6. Secundum argumentum Apostoli.
7. Vult in dirimendis secularibus judiciis contemptibiles constitui; & qui contemptibiles?
8. Non simpliciter, sed comparative hos judices constitui vult.
9. Mens Apostoli erat, ut Sapiens aliquis è Fidelibus constitueretur, qui quaestiones dirimeret.
10. Ut hic tamquam arbiter quaestiones determinaret.
11. Desiderabat Apostolus, ut a forensibus litigis abstineret.
12. Quis ex mente Apostoli Sapiens dicatur?
13. Quâ ratione ex sensu Apostoli quaestiones & causas civilibus componendis Episcopi merito intenderint.
14. Sanctus Augustinus se illis impendit, ut Apostolico monito obtemperaret.
15. Etiam S. Ambrosius se hisce impendit.
16. Imperatores Christiani desiderarunt, ut quaestiones inter Fideles ab Episcopis componerentur.
17. Constantinus M. permisit litigantibus ad Episcoporum judicium provocare, rejectis Magistratibus civilibus.
18. Arcadius Imperator similiter indulſit ut litigantes ex mutuo consensu judicium Episcopi tamquam arbitri experiri possint.
19. A decisione Episcopi sic electi provocari non poterat.
20. Litigantium altero recusante causa ad Episcopos trahi non poterat.
21. Ad leges permittentes litigantibus recurrere ad Episcopos respexit S. Leo consulens Penitentibus ut ad Episcopale potius quam seculare judicium recurrant.
22. Episcopi potius arbitri quam judices constituebantur; idque de consensu utriusque litigantis.
23. Extravagans permittens litiganti altero reluctante expetere Episcopale judicium, apparet non posse Constantino attribui.
24. Hac Extravagans vult sententias Episcoporum inviolatas servari.
25. Cur tanta tribuatur auctoritas Episcoporum sententiis?
26. Hac Lex à nonnullis viris eruditissimis ut supplicata, rejecta à Carolo M. sub nomine Theodosii renovata & confirmata.
27. Eam referunt S. Ivo & Gratianus; & probavit Innocentius III.
28. Vigore hujus legis licitum erat laico in quacumque parte litis ad Episcopum causam trahere etiam altero litigantium invito.
29. Non licet à sententia Episcopi appellare.
30. Voluit Carolus M. in omnibus suis Ditionibus, & ab omnibus hanc legem servari.
31. Quis fuerit Caroli M. in promulgatione hujus legis scopus?
32. Omnis Episcoporum auctoritas in causis laicorum tendebat ad conciliandam concordiam & pacem.
33. Episcopi urgebant Principes ut idem esset judiciorum forensium scopus.
34. Pleraq; laicorum causa civiles ad Episcopos deferrebantur.
35. Quam extensa fuerit jurisdictio Ecclesiastica saculo 13. ostenditur ex Concilio apud Melodunum.
36. Causa civilis inter laicos ratione juramenti spectabat ad jurisdictionem Ecclesiasticam.
37. Hoc titulo omnes pene causa ad tribunal Ecclesiasticum devolvebantur.

